Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31632
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Pauperes ac debiles. et c. Pauper enim debilis.
cecus et claudus. gentilis populus erat.
Pauper erat. quia delicias paradisi perdiderat.
Debilis. quia a bono opere torpebat. Cecus.
quia in tenebris et umbra mortis sedebat.
Claudus quia utroque pede claudicans a
recto itinere cessabat. Qui ergo lumen verita
tis ignorabat. viam mandatorum dei curre
re nesciebat. Delicias spiritales amise
rat. qui nec bonum operari noverat. Non ergo
illi soli currunt ad convivium qui debiles sunt cor
pore sed etiam mente. Pauper enim est qui quamvis
dives sit vitiis. tamen egens est virtutibus.
qui divitias distribuit ut dominus. non autem eas
concupiscit ut servus. De quibus dominus ait. Bea
ti pauperes spiritu. Cecus est qui illud lumen aspicere
non potest. quod de se ipso signat dicens. Ego
sum lux mundi. Debilis. qui fidem perfectam non
habet. quam dominus discipulis commendans ait
Si habueritis fidem et reliqua. Claudus est qui habet
fidem sine operibus. quia opera sine fide nichil sunt.
Ergo ad convivium dei vocantur. quia non est opus
sanis medicus. sed infirmis. Cum autem ait exi
in vias et sepes. sic est intelligendum. per illos
qui de vicis vocantur populum iudeorum intelli
gimus. qui quasi ex vicis vocatus est: quia legem
habebat per quam incedere debebat. per se
pes vero gentilis intelligitur. Sepis quippe
ex silva fit. Solet autem per silvam natio gen
tium designari. sicut scriptum est. Tunc exultabunt
omnia ligna silvarum. Tunc autem ipsi vocati
sunt. quando latam et spaciosam viam atque tor
tuosam que ducit ad mortem reliquerunt
et iter rectum incedere ceperunt. Unde Io
hannes in apokalipsi postquam dixisset
ex duodecim tribubus duodecim milia sig
natos vidisse. adiunxit dicens. Post hec
vidi turbam magnam. quam dinumerare
nemo poterat. Notandum autem quinam
prima vocatione. secunda quando missi
in vicos et plateas. tercia in vias et
sepes. In hac tercia invitatione non dicitur
voca. sed compelle intrare. Sunt autem plerique qui
non facile ad dominum convertuntur. nisi prius aut
infirmitate aut paupertate. aut aliqua
necessitate constricti fuerint. Quod illa pa
rabola evangelii de prodigo filio ostendit.
Qui cum egere cepisset ad se reversus dixit.
Quanti mercennarii in domo patris mei
habundant panibus. ego autem hic fame
pereo. surgam et ibo ad patrem meum et dicam
ei. Pater peccavi in celum et coram te. iam non sum
dignus vocari filius tuus. fac me sicut unum
ex mercennariis tuis. De talibus psalmi
sta ait. Cum occideret eos tunc inquirebant
eum. Et sicut per prophetam dicitur. Tantummodo sola
vexatio intellectum dabit auditui. Non
nulli enim electi post carnis desideria cur
rere desiderant. cum amatoribus mundi com
munem vitam ducere. sed oculus divine
misericordie eorum impias actiones preveniens. ali
os in infirmitate affligit. alios paup
ertate attenuat. alios variis necessita
tibus coangustat. Cumque post flagella ad
dominum convertuntur. quasi ad convivium eius intrare
compelluntur. Talibus dominus per prophetam dicit.
Virga et flagello castigaberis filia syon.
ut non discedat zelus tuus a te. Tales sig
nificavit puer ille amalechites de quo
in regnorum libris legitur qui sociis fugien
tibus infirmus in via remansit. Quem david
persequens amalechites repperit. eumque cibo
potu refocilavit. atque ducem sui itineris
fecit. Et ipse postea cum david amalechites
percussit. a quorum consortio infirmus in via
remanserat. Amalechites enim qui labens

111